



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. An competat patronis jus, sen potestas liberè disponendi de Ecclesiis,
& juribus, ac bonis earum, quarum sunt patroni?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

SECTIO II.

Qua iura competant patronis, & quam potestatem habeant, vel non habeant in Ecclesiis, vel beneficiis patronatus?

§. I.

An competat patronis jus, seu potestas liberè disponendi de Ecclesiis, & iuribus, ac bonis earum, quarum sunt patroni?

Respondetur, nullam eos habere potestatem bona Ecclesiarum, quarum patroni sunt, administrandi, vel de illis disponendi, siue Laici, siue Clerici patroni sint, c. Præterea 4. h. t. & Consil. Trident. sess. 25. cap. 9. De reform. §. Patroni autem, ubi etiam poena excommunicationis, & interdicti, ac privationis iuris patronatus, in eos statuitur, qui contra hanc prohibitionem agunt: uti & in eos, qui à Laico patrono, sine proprii Episcopi auctoritate, institui se in tali Ecclesia patronata permiserunt, ita ut hic etiam inhabilis sit ad hoc beneficium canonicè acquirendum, in quod per potestatem Laicam intrusus est argum. c. Quisquis 43. De elect. nisi in petitione de vitio intrusionis mentionem fecerit. Videatur etiam c. Relatum 21. h. t. & Trident. sess. 14. cap. 13. De reformat. ac sess. 22. cap. 11. De reformat. ubi plura contra tales patronos Laicos instituentes, aut destituentes, & circa bona Ecclesiarum patronatarum disponentes, statuuntur, ita ut ad patronum talem tantùm præsentare pertineat,

qui postmodum ab Episcopo, si idoneus sit, instituat c. Transmisit 31. h. t. & possit Episcopus etiam repellere præsentationis litteras, in quibus collatorem se vocat patronus, cum in omni iure, maximè inter se differant collatio, & præsentatio, quarum hæc patrono etiam Laico ex indulgentia Ecclesiæ competit, non autem illa, nisi ex speciali fortassis privilegio, quod raro Laicis conceditur.

§. II.

An jus eligendi vel præsentandi competat patrono in Ecclesia collegiata seu conventuali, & quanam iura præter jus præsentandi eidem debeantur?

Patronus quæ talis, quamvis Ecclesiam collegiatam, aut conventualem dotaverit, fundaverit, vel ædificaverit, jus tamen eligendi, aut præsentandi Prælatum in illa Ecclesia non habet, neque consensus illius ante electionem necessariò requirendus est, prout alibi de Laicis jam dictum, & ex o. Nobis 25. h. t. universim patet, (tum quòd Laicis concessa non sint iura spiritualia, prout est electio, tum quòd Clericis Collegiatæ, vel Conventualis Ecclesiæ non debeat invitatus obrudi rector, qui in foro externo iurisdictionem in illos exerceat) nisi in prima fundatione v. g. talis Ecclesiæ, jus nominandi, aut præsentandi Prælatum, siue Rectorem illius Ecclesiæ, patronus etiam Laicus, cum consensu Episcopi, sibi reservasset, vel certè ex privilegio Pontificio obtineat, cum Pontifex etiam Laicis iura spiritualia concedere possit, & multa concedantur ad